



**A**Latheus & Frigiterus Gothorū reguli fuerunt, qui magna corporis & animi fortitudine erant præditi. Erant autem Gothi Germaniae populi qui Pannionam inhabitarant, atque olim Daci & Gethæ dicti fuerant. Illorum ijs qui magis uersus Orientem conserderant Ostgothi aut Ostrogothi, qui uersus Occidentem Vuestgothi aut Visigothi dicti sunt. Cum ijs Romanorum Imperatores multis annis uario Marte bella gesserunt, atque tandem foedus inierunt. Eo autem tempore cum Valens in Oriente Imperium obtineret, Gothi magni Romani imperij malo ab Hunnis uicti, pulsique suis sedibus Istrum tumultuose transiuere. Hos Valens Imperator, qui ad eum motum occurrerat, sine ullo foedere citra Danubium in Romanæ prouincia solo constituit. Polliciti enim Gothi erant, se Christianorum doctrinam professuros, atque tutam Romani imperij ripam ab Hunnis & omnium aliarum gentium incursu præstaturos. Itaque Valens qui Arriana luce infectus erat, eius generis Antistites ad eos misit, atque per eos potentem gentem Christianos effecit. Dati etiam sunt Lupicinus & Maximus duces, qui Gothorum desiderijs mature consulerent. Cum autem illi auare nimiris agerent, maligneque uictum ipsi genti ministrarent, sibi & multis exitium quæsiuere. Tulerunt tamen aliquandiu Gothi suam calamitatem, & Romanorum ducum auaritiam. Tandem uero fame adacti, Alatheo & Frigiterno uiris fortissimis suorum patientiam increpantibus, Romanum præsidium repente adorti, cum ipsis ducibus trucidarunt. Postea quoque metu discussio Mysiam & Traciam armis subigunt, & subactis tributum imponunt.